



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II

*EPISTULA DATA
AD IACOBUM ROBERTUM S.R.E. CARDINALEM KNOX*

Africam Evangelio patentem animo intuemur, nominatim Ugandam, quae praeterito saeculo christianam veritatem studiose recepit, quin etiam praeclara germina protulit sanctitatis. Ibi enim, ut notum est, fidei testes sat multi mori maluerunt quam foedari et observantiam legis divinae sanguine profuso confirmarunt. E quorum numero Carolo Lwanga, Matthiae Kalemba Murumba seu Mulumba et XX sociis Paulus VI, Decessor Noster, anno MCMLXIV Sanctorum Caelitum honores sollemni ritu decrevit, inter quem haec verba est elocutus: «Hi igitur Martyres Africani albo victorum, quod est martyrologium, paginam addunt, qua res simul funestissimae et magnificae perhibentur: paginam dicimus, sane dignam, quae adiungatur egregiis illis narrationibus veteris Africae, quas nos, hac aetate viventes, utpote homines modicae fidei, opinabamur numquam habituras esse aequam continuationem. Quis umquam suspicari potuit, ut exemplum afferamus, ad acta illa, animos commoventia, Martyrum Scillitanorum, Martyrum Carthaginensium, Martyrum «Massae Candidae» Uticensis, de quibus Sanctus Augustinus et Prudentius commemorant, Martyrum Aegypti, quorum amplissimam laudem apud Ioannem Chrysostomum scriptam invenimus, Martyrum persecutionis Vandalicae, nostris temporibus novas historias accessuras esse, quibus res non minus fortiter gestae, res non minus fulgidae narrarentur?» (AAS 56 [1964], p. 905).

Est quidem prae nobis ferendum paucis annis hoc martyrium accidisse, postquam religio catholica in Ugandam esset illata. Recte igitur sentiendum est terram illam quodam modo iam proclivem fuisse ad religionem christianam suscipiendam, scilicet semen evangelicum quasi expectasse, eoque immisso, brevi in agrum fructuum feracem excrevisse.

Laudandum ergo est consilium Praesulum Ugandensium, qui saeculum elapsam, ex quo primi missionaria regionem illam contigerunt, festis statuerunt caeremoniis celebrare et Eucharisticum ex tota Natione agere Conventum. Ad quae sollemnia apparanda novimus Venerabilem Fratrem Nostrum Emmanuelem S.R.E. Cardinalem Nsubuga, Archiepiscopum Kampalaënsem, operaeque

socios diligenter incumbere, necnon cunctos sacrorum Antistites Ugandae communibus litteris datis et clerum et religiosos et fideles salubri exhortatione ad ea praeparasse.

Meminimus sane eundem Decessorem Nostrum Paulum VI, anno MCMLXIX, primum e supremis Ecclesiae Pastoribus in Africam, ac quidem in Ugandam, se contulisse, ut Coetui Episcoporum illius terrae continentes interesset, praedictis Martyribus honorem in eorum patria adhiberet aliaque ad religionem spectantia exsequeretur. Nos vero cupimus celebritates, quae proxime ibi fient, saltem per Patrem Cardinalem, qui Nostrum gerat personam, participare. Quapropter hisce Litteris te, Venerabilis Frater Noster, Missum Nostrum Extraordinarium constituimus et nominamus, mandantes, ut Nostro nomine statutis celebrationibus praesideas. Cum animi mentisque dotes, quibus ornaris, cognitae habeamus, non dubitamus quin huiusmodi munere ita sis functurus, ut gloria Dei augeatur et Ecclesiae in illa regione utilitates obveniant nec paucae nec leves.

«Quam speciosi pedes evangelizantium bona» (*Rom.* 10, 15). Primi viri, Christum Ugandensibus annuntiaturi, fuerunt Simeon Lourdel, sacerdos, et Amans Delmas, frater, sodales Societatis Missionariorum Africae seu «Patrum Alborum», qui die XVII mensis Februarii anno MDCCCLXXIX, postquam per Lacum Victoriae navigarunt, ad locum «Entebbe» appulerunt; quos, aliquot mensibus transactis, alii tres Evangelii praecones ex eadem religiosa Familia sunt subsequuti.

Sedem autem in Nabulagalae collocarunt, ubi sacrificium eucharisticum in Uganda primum celebrarunt posteroque anno quattuor autochthonas salutari baptismi aqua primum tinxerunt. In hac ergo statione crux Christi est posita, hinc lumen eius radiavit. Quamquam difficultates gravissimae non semel subortae sunt, tamen res catholica laetis firmisque augescebat incrementis, propterea etiam quod novi operari in vineam illam advenerunt. Curse etiam erat, ut ex ipsis Ugandensibus sacrorum administris asciscerentur. Ita factum est, ut anno providentia Pii XII, item Decessoris Nostri, sacra Hierarchia in regione illa institui posset.

Itaque hoc saeculum, tam felici progressionem insigne, respicientes, omnes filios Nostros, quos habemus carissimos, ibidem incolentes, paternae monemus, ut pretiosum fidei donum constantissime servant et, hoc iubilaeo impulsus, ex ea diligentius in dies vivere satagent, memores eam alii verbo praekonum legitimum et vitam liturgicam, qua «mentes in Deum excitantur, ut rationabile obsequium Eius praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant» (*Sacrosanctum Concilium*, 33). Sed ulterius etiam testis progrediendum, nempe contendendum, ut Evangelium latius propagetur, quia «cuilibet discipulo Christi onus fidei disseminandae pro parte sua incumbit» (*Lumen Gentium*, 17); opus videlicet est, ut Ecclesia Ugandensis, a missionariis condita, iam ipse sit missionaria.

Probando consilio, ut supra diximus, Conventus Eucharisticus agitur, sollemne horum saecularium oblata occasione. Recte quidem augustum hoc Sacramentum cultu sociali honoratur,

in quo non solum gratia divina sed auctor ipse gratiae, Christus Dominus, continetur. Eucharistia est vinculum caritatis, siquidem «unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus» (1 Cor. 10, 17) ; merito ergo Sanctus Ioannes Chrysostomus adiungit: «Si autem ex eodem, et idipsum efficiamur omnes, cur non eandem caritatem exhibemus, et ea ratione unum efficiamur?» (In Epist. 1 ad Cor., Hom. 24, 2 ; PG 61, 200). Sane optandum est quam maxime, ut in isto Conventu Eucharistico fiamma verge fraternitatis exardescat, qua Christiani accendantur, ut aliorum vulneribus, sive ad animam sive ad corpus pertinentibus, medeantur, ut sublevent aërumnis afflictos, ut inopia vexatos reficiant.

Ut autem haec omnia tam praeclara et excelsa ad effectum deducantur, expetendum erit etiam auxilium Beatae Mariae Virginis, quae est Mater Ecclesiae: eius curae praesentem vitam et futuram sortem totius communitatis catholicae Ugandensis fidenter committimus.

Haec habuimus, quae, sollemnibus istis instantibus, pastoralis amore et studio ducti, scriberemus. Vota autem, quae facimus, ut inde fructus quam uberrimi percipiantur, confirmet Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Nostrum, necnon praedicto Patri Cardinali eidemque Kampalaënsi Archiepiscopo, ceteris Praesulibus, Magistratibus, sacerdotibus, religiosis et fidelibus universis, qui eiusdem iubilaei causa in unum congregabuntur, libentissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVII menses Ianuarii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PAULUS PP. II